



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Cæremonijs quare vtitur Ecclesia, cùm fides sufficiat tit. 225

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Terriò, Tametsi hoc verum sit, quòd idem est de
 ciborum & potagiorum generibus, nempe quòd sunt
 cibus & potus: attamen hoc negari non potest, quod
 vnus cibus plùs altero est prouocatiuus ad peccatù:
 Et vnus potus plùs prouocat ad ebrietatem, quam al-
 ter. lubet enim Paulus non inebriari vino in quo est
 luxuria, &c. aqua enim non inebriat, &cet. Si carnes
 plus accendunt libidinem, quàm pisces: ob id maio-
 rem castigationem corporis efficiunt hæc genera ci-
 borum & potagiorum, à quibus abstinemus certis
 diebus, &c non tamen negatur abusus, qui & in pisci-
 bus ac cereuisia contingere potest, ad eò esse peccatù,
 & incontinentium ad vitia corporis, sicut carnes & vinù.
 Id eò moderatio cogitanda est, 1. Cor. 9. Castigo cor-
 pus meum, & in seruitutem redigo, &cet, Propter
 Deum igitur abstinemus à certis generibus ciborum
 & potuum: non tamen reijcimus, &c. August. ad fra-
 tres Eremitanos serm. 25. Est ieiunium deuotionis,
 est ieiunium institutionis siue præcepti, &c.

*CÆREMONIIS QVARE VTI-
 tur Ecclesia, cum Fides sufficiat.*

TITVLVS CCXXV.

Rimò notandù q̄ Ecclesia nō vtitur cæ-
 remonijs, q̄ in his consistat salus, q̄ iu-
 stificent, q̄ sint, potissima virtutū opera
 q̄ fiducia in illis sit locanda: sed vtitur
 veluti quibusdā visibilibus signis, ceu
 pedagogis nos trahētibus ad verā pietatis mysteria,
 sicut stella Magorū nō fuit Christus, Matt. 2. neq; nu-
 bes, aut statua solis & ignis terra sancta, Exo. 13. Neq;
 circulus est vinū, aut testa nucleus, cuculla mōachus,
 &c. Sic non p̄pter se, sed p̄pter aliud vtimur cæremo-
 nijs, cultu & p̄ceptis diuinis, atq; sacramētis, quibus
 ornatum, & maiestatem facimus. Sunt hæc imbecil-
 lium libri, & puerorum sunt stimuli ad religionem.

KKk 4 Secundo

Secundò, Sic Christus ceremonijs fecit maiestatem & ornatum operibus suis. Sic clamat Ioann. excitando Lazarum, In sufflauit in discipulos, quodò volebat illis dare spiritum sanctum, Ioan. 20. Quos cæci liniuit luto, Ioan. 9. Sic defendit cantum puerorum in templo contra Iudæorum malitiam, & acceptauit reuerentiam in palmis arborum & vestimentis, Matthæi. 21. Commendatur publicanus percutiens pectus suam, Luc 18. Summa, Tolle ceremonias ab ecclesia, maximã partẽ religionis tollas. Nam si quæ adhuc scintilla in pectoribus hominum veræ fidei in Christum viget, hæc ceremonijs nutritur inquit Martyr Ioan. Roffensis. Sic patres erant officiosi, vt iocunda, decoraque esset laudatio Dei, Psalm. 146. iocunda voce cantantibus Psalmos aut hymnos, & organa, pulsantibus campanis: Decora, vestibus, ornamentis, luminibus, altaribus, tabulis, imaginibus, Ecclesijs, &cet.

Tertiò, vtimur ceremonijs propter vnitatem conseruandam religionis. Est enim vnitas in feriendo, ieiunando, confitendo, communicando, celebrando, æquali forma ministrando sacramenta, cibo, potu, &cet. maximè vtile, & conseruat imperitos, obediētes: At dissimilitudo parit licentiã seditiosam & sectas, & scandala infinita. Nam sic vnus feriat & reuerentat, alter contemnit & deridet, iudicat que facientem tanquã ignarũ Euangelicæ libertatis & verbi Dei, sic Apostoli præceptum, 1. Corinth. 14. quo dicit, vt omnia in nobis fiant honestè & ordine, contemnitur obedientia superiorum & Ecclesiæ vniuersali deridetur. Ideo non sunt tales violatores sine peccato. Profunt ergo ceremoniæ, & seruantur propter vnitatem ad disciplinam puerorum & ad Ecclesiæ ornatum & tranquillitatem, modò manet finis Politicus, id est, ne illis tribuatur iustificatio, propter has tres causas, Ecclesia vtitur ceremonijs circũ-

dem Christi, sine periculo & cætera. Nam cæremoniæ ad externum Dei cultum pertinent: Fides, Spes, Charitas, ad internum.

DE DUPLICI CULTU DEI.

TITVLVS CCXXVI.

NOTANDum primò, quòd cultus Dei duplex est, Interior & exterior. Interior fit fide, spe, & charitate ac cæteris virtutibus spiritus sancti, Gal. 5. Illo enim cultu Deo per intellectum & affectum coniungimur, id est, corde & mente. Exterior est professio quedam, id est, signum cultus interioris, externis quibusdam & corporeis indicijs & ritibus significata ut cæremoniæ, sacramentum, sacrificium, oratio, &c. de utroque cultu dicit Dauid Psalm. 83. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Ideò non solum fide Deus colitur, sed etiam externis cæremonijs.

Secundò inquit: Deus nõ indiget nostris cæremonijs. Neque enim Deum illis cogere possumus, vt vel aliquid agat seu omittat, quod sacerdotes Baal sibi persuadere videbantur, quibus à Propheta Helia dicitur, 3. Regum. 18. Clamate voce maiore, forsitan Deus, in diuersorio, aut in itinere est, aut certe dormit, vt excitetur. Respondeo: Sed nos indigemus cæremonijs, vt vires nostras excitemus ad colendum Deum vera fide, spe & charitate, & ad charitatem fraternam in proximo exercendam nos ipsos commonemus, & nos ad immobilem Trinitatem attrahimus, sicut qui in naui funem ad palum in littore eiciunt, quo non terram ad se trahunt, sed seipso ad terram, & nauim mobilem trahunt ad terram immobilem. Sic externis cæremonijs ac ritibus ecclesiasticis crucifixi, sepulcri & vexilli, attrahimus simplices & pueros ad maiores articulos fidei, id est, sepul-